

Hermann Becker


**Viri Illustris Atque Consultissimi, Matth. Benoni Heringii, J.U.D. Et Prof. ... Funus,
Quod D. V. Id. Febr. A.R.S. MDCCL. ... Vidua Moestissima Defuncto Marito
Lugens Moerensque Parat, Indicit, Atque Viri de Aademia ...**

Rostochii: Adlerus, 1750


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn838198236>

Druck Freier  Zugang





Y.P.
K.L. — 37.^{1-22.}(1.)



12
~~III~~

VIRI
ILLVSTRIS ATQVE CONSVLTISSIMI,
MATTH. BENONI
HERINGII,

J. V. D. ET PROF. DVC. PVBL. O. CELEBERRIMI,
CONSISTORIIQVE DVCALIS ECCLESIASTICI
CONSILIARII GRAVISSIMI,

FVNVS,

QVOD D. V. ID. FEBR. A. R. S. Cl. 1722.

VIDVA MOESTISSIMA
DEFVNCTO MARITO
LVGENS MOERENSQVE PARAT,

INDICIT,

ATQVE

VIRI DE ACADEMIA, LITTERATOQVE ORBE
MERITISSIMI MEMORIAM,

CIVIBVS ACADEMIAE

CVNCTISQVE LITTERATIS


SEDVLO COMMENDAT,

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS PRO-RECTOR,

HERMANNVS BECKER,

J. V. D. ATQVE PROF. SENAT. P. O.

FACVLT. SVAE HOD. DECANVS.



ROSTOCHII,

Typis J. J. ADLERI, SEREN. PRINC. AVL. ET ACAD. TYPOGR.



Triste est, ad quod *Vos CIVES ACADEMIAE*; nunc voco, & neque a me, neque vero a *Vobis* sine intimiori doloris sensu obeundum officium, dum ad frequentandum funus *VIRI* de Republica litteraria optime meriti, amplissimis, quibus ornatus erat, muneribus, summa cum laude functi, nostrae denique Academiae decoris ac ornamenti, Vos omnes lugubri hac scriptioe excito. Meministis, & recens vulnus sentientes hodie recordamini maximae illius jacturae, quam una Illustris atque Consultissimi Viri, b. **MATTHIAE BENONI HERINGII**, Jur. D. & Prof. Ducal. Publ. Ord. Illustris Consistorii Ducalis Consiliarii, Antecessoris hujus Almae maxime Venerabilis, morte, cum hac nostra musarum sede, cum tota civitate, cum patria nostra dulcissima, omnis eruditorum orbis fecit. Equidem non improvisus vel inopinatus obitus Virum sustulit, quem diu jam morbi exitialis molestiis affectum, atque citatori quotidie cursu ad vitae suae terminum properantem vidimus; sed praematurus tamen, non, quod canum caput nobis non eripuit, sed quod Cive nos privavit ob summam animi praestantiam, singularem in gerendis negotiis prudentiam atque dexteritatem, eruditionis denique elegantiam & soliditatem longiori vita dignissimo. At vero fuit haec nostra quondam gloria, quae praeter triste sui desiderium, satis nobis molestum, vix quidquam nobis reliquit. Sicine mors omnibus adest, cui velis, nolis, vacandum est? Itane rerum mortalium fugax atque mutabilis fors cunctis nobis se pro-

dit,

dit, dum, quem superstitem diu atque incolumen si non speravimus, tamen optavimus, tam immaturo fatō amitti debebat?

Sed vero, si recte judicamus, non planctus tantum aut querelas, sibi postulat *Vir* suo jure incomparabilis. Ea enim virtutis atque meritum indoles est, ut non fūco obductæ placeant, aut amplo verborum firmate prædicari malint, ut suo potius nativo splendore eniteant, justosque rerum arbitros in sui rapiant admirationem. Atque ea erat b. HERINGII singularis felicitas, ut non adscititia, sed labore parta gloria præstaret, eo majoris habenda, quo frequentior hodie eorum turba est, qui ridiculis suis, ne quid gravius dicam, gesticulationibus æternitatem consequi se posse, falso sibi persuadent. Remotus ab hac opinione, id unice agebat, ut, quo natura eum instruxerat, felicius ingenium non ostenderet, sed in verum aliorum orbisque commodum verteret. Quo fine suo ut eo certius potiretur, vitam semper ducere annisus est, qualis eruditum decet, qui sapienter prudenterque cuncta sua ita moderatur, ut non sibi soli, sed aliis sapiat. Quod ipsum, qua ratione egerit, vita dabit, cujus recensio jam instituitur, ex ipsius b. *VIRI* schedis collectam, quam etsi lugentes consignemus, ita tamen consignare studebimus, ut & alii intelligant, quantum unius HERINGII mors nobis abstulerit, & in eo exemplum intueantur posterum, quod, etsi supra imitationem positum sit, attingere tamen, quantum licebit, conentur.

Ut itaque ab ipsis nostri natalibus ordiamur, inciderunt ea in anni a. N. S. c1010c1xxxiii. diem xix. m. Februarii. Patria ipsi contigit non adeo celebris pagus Zwilipp in Præfectura Colbergensi Pomeraniæ situs, qui licet propria destituatur fama, eam tamen ob rationem prædicari meretur, quod tam præclarum laudeque dignum Virum protulit. Non enim sagaciores æstimare solent, quidquid vana mortalium cupido sibi ex soli natalis splendore adsciscere solet gloriationis; ast ea tamen est terrarum non ultima felicitas, si summorum ingeniorum fertiles fœcundæque inveniuntur. Et ex hoc nisi fallimur patria b. HERINGII digna est, quæ felicioribus terris adnumeretur, quippe quæ in hoc uno filio suo produxit, de quo vel totæ regiones ingentesque urbes gratulari sibi sine adulatione possent.

Pari, quo patriam, etiam majores suos splendore illustravit noster, qui ob egregia in Ecclesiam merita laudari posteritatisque memoriæ commendari merentur. Nascebatur ipse patri MATTHIAE HERING, qui anno R. S. c1010cxxxiii. m. Februario Kyrizii Marchiæ oppido in lucem editus, ad docendam Ecclesiam Zwilippensem anno c1010c1xxiii. vocatus, concredito suæ curæ cœtui tanta fide tantaque industria præfuit, ut naturæ debitum anno c1010c1cvi. d. xii. Sept. solvens, ab omnibus lugeretur maximumque sui desiderium post se relinqueret. Avus nostri paternus fuit b. TOBIAS HERING, Ecclesiæ Kyrizensis Archi-Diaco-nus, eruditionis & probitatis laude insignis, qui thori sociam sibi elegerat ANNAM KIRCHOFEN, sexus sui decus pietate ac modestia omnibus commendatissimum. Huic statim jungimus nostri proavum, b. ELIAM HERING, sacrorum apud Kyrizenses Inspectorem venerabilem.

rabilem, quem orbi genuerat nostri abavus, b. MATTHIAS HERING, Ecclesiae Baumgartensis, Inspectionis Lindaviensis, Pastor ut meritissimus, sic suis carissimus amantissimusque. Tam piis munerumque gravitate ac sanctitate conspicuis majoribus ortum suum debebat b. HERINGIVS, a quibus ut nomen, ita mentem quoque ad altiora tendentem ingenuamque hereditate acceperat. Nec est, cur, qui in materna linea nostri progenitores exstiterunt, silentio praetereantur. Matrem venerabatur matronam senio & virtutibus venerandam, b. ANNAM REGINAM SCHEVNEMANNIAM, in pago Zwilipp, anno 1646. d. xi. Nov. natam, quae nominato jam marito suo d. V. Decembr. anni 1673. nupserat, atque beato obitu suo an. 1698. d. xxvii. Maji non leve nostro vulnus inflixerat. Erat ipsa proles b. DIONYSII SCHEVNEMANNI, Pastoris Zwilippensis fidelissimi, & REGINAE HEISEN, ex celebri & hodie adhuc COLBERGAE florente, Mercatorum primariorum atque salinatorum HEISENIORVM familia oriundae. Proavus maternus nostro contigerat religiosissimus sacrorum Zwilippensium Antistes, JOACHIMVS SCHEVNEMANNVS filius DINNIES SCHEVNEMANNI, nostri abavi, qui praedium Puzerinense pignoris titulo possedit, dexteritatisque ac oeconomicae prudentiae multam laudem consecutus est.

Non licet nobis in enarrandis b. HERINGII maioribus ulterius ascendere cum temporum factorumque iniuria memoriam eorum abstulerit. Nec est, quod nimis anxios sollicitosque nos in quaerendis iis geramus, cum propria laude praestantis viri sit, & genus & proavos, & quae non ipse fecit, vix sua putare, id quod noster optimo suo jure de se praedicare valebat. Neque nos eum in finem narrationem hanc suscepimus, ut aliquid laudis ab iis mutuaremur, quibus recenti adhuc memoria haeret, quam parum in condendis familiae suae tabulis curae consumserit b. noster, cui sufficiebat, quod parentibus, viris honestis virtuteque magis, quam famae splendore fulgentibus gauderet. Quare & missis his, ad ea nos accingimus, quae propria viri optimi fata fuerunt factaque, ut ex iis penitus eum cognoscere orbis queat.

Felici partu in lucem editus, sacrisque ecclesiae nostrae initiatus a parentibus omni cura sollicitudineque fovebatur, quo, quem Deus & natura maximo destinaverant usui servaretur, nec quidquam negligebatur, quod vel ad corporis curam vel formandum tenerum adhuc ingenium requiri videbatur. Idcirco adolescentem nostrum doctrinae christianae elementa ipse parens docebat, omnique fide sollertiaque prima linguarum disciplinarumque rudimenta cum filio communicabat. Erat haec prima nostri felicitas, quod ex ipsius parentis institutione, qua diligentior circumspectiorque alia vix haberi potest, proficere poterat, quae tanto ipsi commodo emolumentoque fuit, ut mox aliis doctoribus, ad altiora viam monstrantibus tradi posset. Atque utinam cuncti, quibus Numinis providentia id felicitatis genus concessit, ut natos ex se videre possint, laudabile hoc exemplum imitentur, suamque non tam in procreanda, quam educanda potius riteque formanda sobole curam colloca-

rent

rent operamque. Dicit enim vix potest, quantum apud liberos valeant, quæ in parentibus intuentur exempla, quamque fertilis sit atque fecundus horum labor, si natorum præcipue circa salutem versatur. Ita namque liberi vel a primis incunabulis parentum bene moratorum rationi assuescunt, quorum amor cum in suos tenerrimus sit, esse vix potest, quin ad præclara, honesta, laudabiliaque eosdem excitent, atque a pravis facinoribus & monitis & exemplo suo, coërceant. Si quis alius, HERINGIUS certe hujus rei testis extitit, cujus quippe candor, integritas, & gratia, quas postea cuncti in ipso venerabundi coluerunt, primis his impressionibus ortum suum debuerunt, quique ita bene a parentibus præparatus mox non incelebri Lyceo Colbergenfi nomen dare poterat. Neque hic ardorem semel in bonas litteras conceptum dimisit nos, sed adeo sedulus diligensque inventus fuit, ut cito alias atque alias doctrinas caperet, diligentia ipsius doctorum operam antevertente. Ita enim in hoc stadio versabatur noster, ut linguarum, quibus præcipue tunc navabat, penitiori notitia animum imbueret, atque orationis gravitatem cum suavitate conjunctam sectaretur. Læti itaque, quorum institutioni traditus erat, gaudebant, quando juvenem hunc alacri animo mox Romanorum venustatem, mox Graecorum concitatum dicendi genus imitantem videbant, & tunc iam erudito orbi egregios tam felicitatis ingenii fructus gratulabantur.

Verum enim vero, accidebat & hic b. HERINGIO, quod lubrica rerum humarum fors, varia semper atque instabilis ferre secum solet incommodi. Annus enim a N. S. 1606. nostrum privabat parente, qui in poliendo ipso omnem animum adhibuerat, quo fiebat, ut in medio fere studiorum suorum cursu noster sifteretur. Erant cognati, erant & quorum consiliis mater nostri, marito suo orbata, utebatur, qui aliud vitæ genus HERINGIO suadebant sumtibus paucioribus rationeque magis commoda gerendum, litterarumque omnem amorem in ipso extinguere conabantur.

Non solus est HERINGIUS, cui tale quid obtigit: ast solus forte fuit, qui adeo forti tranquillaque mente ejusmodi consilia sprexit, providentiæ Numinis, cui per totam vitam unice confusus fuit, fata sua committens, optime gnarus, non frustra vel fortuito mortales impetu quasi quodam ad suscipienda etiam graviora molestaque negotia ferri. Prudens itaque quid ipsi faciendum foret, secum agebat, cum tandem amor litterarum vinceret. Haud parum, si recte meminimus, propositum hoc firmabat b. parentis morti iam vicini consilium dicam an mandatum, qui prout scientiis hunc filium suum destinaverat, sic seria admonitione, ne ab hoc instituto desisteret, vel moriens adhuc eum hortabatur. Quorum monitorum probe memor, & divino auxilio nixus, quæ cepit, viam nosse prosequatur, atque rerum suarum rationem habens, Colbergenfi scholæ ad annum usque 1613. alumnus existebat doctorum cunctorumque bonorum amore atque favore dignissimus.

Annis sic & eruditione auctus, præcipue cum ad maiora capienda bene instructum se sentiret HERINGIUS, abitum parabat, non vero

b

statim

statim ad Academias advolaturus, qui plurimorum pro, hodie perverfus mos est. Illustre primum Gedanensium Gymnasium petebat, doctrina ibidem atque scientiarum notitia animum suum locupletaturus. Statim itaque peractis feriis paschalibus anni 1623 res suas colligebat, felicique auspicio Dantiscum proficiscebatur. Non adeo quis rerum inter eruditos gestarum ignarus est, quem celebritas Doctorum, qui ex omni ævo illustrem hanc scholam ornarunt, fugeret, quæ ipsa per motus noster atque allectus nomen suum apud professores ejusdem profitebatur. Receptus hinc inter Gymnasii cives auditoria virorum immortalis gloriæ statim adibat, atque quod sæpe eum prædicantem audivimus, præstantissimorum doctorum manu ductione utebatur.

Sacris litteris præcipue operam suam aliquando dicaturus, quasque ad eas pertinent, disciplinas cunctas sibi familiares redditurus, summae eruditionis Virum, eumque purioris doctrinae laude celebratissimum Theologum, Gymnasii Rectorem b. SAMVELEM SCHELWIGIVM, Theologiam solide atque distincte explicantem audibat, atque ex tanti Viri ore eo lubentius pendebat, quo majores exinde in se redundare fructus animadvertibat. Neque vero Philosophiam atque Philologiae studium, sine quibus, Theologicarum rerum notitia omnis manca est mutilaque, negligebat, sed singulari potius cupidine in eas ferebatur. Tradebat itaque se doctrinae Virorum Celeberrimorum, atque Philosophiam omnem duce b. GOTTLIEB SCHELWIGIO, SAMVELIS F. tractabat, linguarum sacrarum notitia, a b. STOBÆO, bene denique dicendi regulis a facundissimo b. JOHANNES SARTORIO, Eloquentiae tunc Professore, imbuebatur. Sed vero & harum scientiarum cognitio nondum ipsi sufficiebat, quare rerum a primo mundi initio ad hoc tempus gestarum notitiam pariter ac Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ LL. interpretanti, Gymnasii tunc temporis Inspectori, summo & immortalis Viro, b. SAMVELI WILLENBERGIO, cujus nomen laudesque nulla ætas unquam filebit, sedulus affidebat. Erat hoc tempore cum orthodoxa Lutheranorum Ecclesia flebilem illam cunctoque litterato orbi molestantem jacturam VENERANDI SCHELWIGII morte pateretur, quæ prout toti fidelium cœtui, ita Gedanensi imprimis Ecclesiæ Scholæque obtingebat tristissima. Deprimebat mentem Doctorum, quod Collega privati erant, cujus apud externos parta gloria ipsos quoque illustrabat. Disjecti erant auditorum animi, quod præceptore carebant solido atque perspicuo, & Rectore prudenti humanoque. Et inter hos præcipue HERINGIVS noster maximum conceperat mœrorem, qui SCHELWIGIO viam monstrante sacrarum litterarum studio delectabatur, & inclyto hoc duce omnem illarum ambitum pervium sibi reddere, avidus cupiebat. Atque tanto in b. præceptorem amore ferebatur noster, ut exuvias ejus solenni exequiarum die tumbæ cum aliis ipse inferret. Tam altos dein in mente nostri dolor ex obitu SCHELWIGII ortus, radices agebat, ut Theologiæ studium deserere, LLque scrutationi se dare in animum induceret, suadentibus idem præterea variis, quæ in patria ipsius eo tempore agebantur.

tur. Denuo itaque WILLENBERGIVM suum, Jctum incomparabilem adibat, ejusdemque doctrinæ jam totum se committebat.

Dici vix potest quanta aviditate statim Jurisprudentiam omnem perspectam sibi reddere noster conatus sit, etsi nondum, quodnam vitæ genus potissimum aliquando eligeret, decrevisset. WILLENBERGIVM ergo jam Sicilimenta I. N. & G. ab ipso elaborata, jam HOPPII Examen Juris Civilis, jam STRVVII Jurisprudentiam Romano-Germanicam, jam STRYCKII examen Juris feudalis, jam SCHILTE-RI, jam CORVINI institutiones juris Canonici explicantem tanta attentione auscultabat, ut commilitones reliquos diligentia superaret, promptaque rerum propositarum penetratione vinceret, & privatis disputationibus interesse cum fructu pariter atque dignitate posset.

Ita occupato & tam laudabili studio litteris navanti nostro illucebat annus A. R. S. 1700. Supra vigesimum jam septimum ætatis annum agens atque aliis præterea permotus rationibus Gedanense tam carum sibi dilectumque Gymnasium linquere, Academiasque frequentare sapienti consilio constituebat. Atque tunc non sine Numinis admiranda directione nostram hanc Musarum amœnam sedem eligebat, in qua eruditionis suæ augmenta caperet, & cujus olim gloriam atque splendorem doctrina sua fideque auget. Appulit secundis ventis Lubecam, visoque in itinere Hamburgo ad nos accedebat futurum scholæ nostræ civitatisque decus gloriaque.

Novam ob rationem HERINGIVS noster aliis merito proponitur, quem intueantur cujusque instituta imitentur. Est quidem hodie vulgatus, at vero a prudentioribus nunquam non reprehensus plurimorum mos, ut ad Academias properent destituti omni earum doctrinarum notitia, quæ humaniores dicuntur, quibusque imbutos esse oportet, qui veram aliquando ex eruditione gloriam laudemque quarunt. Non iam in ejusmodi rei rationes inquirimus, non raro neglectui præceptorum, aliquando etiam discipulorum segnitiei tribuendas. Id nobis sufficit, aliam prorsus viam nostrum calcasse, qui dictionis elegantia atque nitore, linguarum ampliori cognitione, aliarumque ad hæc pertinentium disciplinarum optima notitia eo jam præstabat tempore, quo alii vix leviter istas tetigerunt, seram aliquando tantæ incuriæ pœnam daturi. Ast, prout HERINGIVS noster sagaci animo cuncta hæc probe conceperat, sic faciliores felicioresque in sublimioribus facere progressus, non grave ipsi erat neque molestum. Statim itaque, quum civitatis Academicæ jura consequutus erat, in studiosorum numerum a t. t. Rectore Magnifico B. DAVIDE HENRICO KOEPKENIO, receptus, prælectiones doctorum Academicorum frequentare incipiebat. Tradebat se eum in finem doctrinæ, FRANCISCI ALBERTI AEPINI, Theologi Academicæ nostræ, quem proh! octiduo post HERINGII obitum, beata morte amisimus, recens adeo iteratumque Collegio nostro inflicto vulnus tristissimi adhuc sentientes. Intererat b. hujus Viri prælectionibus Philosophicis, quibus tunc editam ab ipso introductionem in Philosophiam explicabat, institutisque examinibus cum

Commilitonibus repetebat, & theologicis, quæ b. KÖNIGII Theologiam positivam illustrabant. Frequens etiam & summa cum laude in publicis disputationibus opponendis vices sustinebat, quo, quantum sibi eruditionis magno labore vigiliisque paraverat, & alii non ignorarent.

Sed vero, jam denique noster an. clbcccxxiii. diu de eligendo certo vitæ genere sollicitus, summorum virorum autoritate consiliisque adjutus, & pectoris difficiliori usu fere coactus, jurisprudentiæ studio omnem suam vitam destinabat. Privatisima hinc institutione Celeberrimi quondam ac illustris Academiæ hujus antecessoris, b. JACOBI CARMONII utebatur, donec hic mandatis Serenissimi quondam Ducis nostri CAROLI LEOPOLDI, Herois æternæ memoriæ, morem gesturus, Dantiscum se recipiebat. Licet sic noster ex vivi Doctoris ore ulterius haud proficere valeret, mutos tamen eo diligentius consulebat, imprimisque WILLENBERGIANAS prælectiones, quas calamo olim exceperat, sedulo legebat relegebatque, adeo ut redeunte ad nos b. CARMONIO privato ejus examini in b. SCHÖPFERI nostratis synopsis instituto se sistere posset. Eam vero mox in auditore hoc deprehendebat b. CARMONIVS dexteritatem rerumque bene perceptarum copiam, ut post aliquot hebdomadam decursum ipse nostro ejusmodi laboris continuationem dissuaderet, auctorque fieret, ut apud illustrem Jctorum ordinem nomen suum profiteretur, atque examini ipsius tentandum se offerret. Placebat nostro, ad summa quævis alacri animo tendenti, consilium, atque X. ante Calend. Aprilis an. clbcccxxxviii. tanta cum laude sua gloriaque coram ordinis Jctorum membris stabat, ut communi suffragio summus Doctoris honor ipsi decerneretur. Quem ut rite & majorum more capefferet, inaugurale specimen *de orthodoxia Jureconsultorum* comite b. CARMONIO ad publicum examen deferebat, maximoque cum auditorum assensu per totum diem, ipsis Nonis Julii anno clbcccxxx. defendebat, moxque ejusdem anni, d. V. Id. Nov. honore tituloque Doctoris J. V. ornabatur.

Ita emenso vitæ academicæ itinere, deportatis diligentia atque virtutis præmiis cunctis gratus noster commendatusque partam tot vigiliis curisque eruditionem in aliorum usum vertere generique humano infervire incipiebat. Vel itaque causas reorum agendo, vel cupidam LL. juventutem docendo, vel interrogantibus de jure respondendo tempus omne consumebat. Tanta erat tamque mirabilis nostri in hoc stadio industria, ut omnium in se oculos admirationemque verteret, atque sexcentis plures consultationes, responsa, decisionesque causarum gravissimarum, tam suo, tam aliorum nomine elaboratas post se relinqueret, quæ omnes summam HERINGII prudentiam, assiduitatem, præclaram judicandi facultatem animum denique integerrimum monstrant testanturque.

Non occultabantur HERINGII ingenuæ præstantesque dotes, sed rapiebant in sui amorem quotquot erant, quibus innotescebant. Neque vero huic innotuerant alterique, sed omnibus fere, quare & a nonnullis, justum tantæ virtuti pretium statuentibus, dignissimus judicabatur, qui
publico

publico muneri præficeretur, sicque ampliorem multorum commoda tuendi promovendiqve occasionem nancisceretur. Atqve hos inter erat vir, cui summas proinde semper gratias noster habere solebat, amicitiaæ arctiori vinculo eidem junctus, qvi eum movebat, ut Serenissimum tunc terras nostras regentem Dominum ac Ducem *CAROLUM LEOPOLDUM*, inter Divos jam triumphantem, supplici scriptione adiret, Professioniqve Ducali Codicis admoveri submisit peteret. Anno itaqve 1703 mandatis ducalibus in aulam Suerinensem vocabatur, ad eoqve Duci, accurato ingeniorum æstimatori, præsens se probabat, ut docendi in hac academia publicum munus, simul vero & clementissimam de augendis beati nostri honoribus emolumentisqve promissionem ab ipso consequeretur. Testantur id litteræ Serenissimi manum signumqve ferentes ipsis Idibus Julii 1703 datae, quibus professoris publici sparta ipsi conferebatur, quibusqve adjuncta erant ad Senatum Academicum pariter & Collegium Professorum Ducalium, de recipiendo admittendoqve nostro, mandata clementissima. His Ducalis gratiaæ documentis instructus, Principi ac Domino suo cognitus atqve merito probatus nostræ se civitati scholæqve reddebat *HERINGIVS*, munusqve sibi collatum solenni oratione, qua de *inimicitis non imputandis*, facunde solideqve differebat, mox. Prid. Calend. Augusti, felici fidere auspicebatur.

Academicam vitam suis licet non carentem deliciis, molestam tamen præcipue gravissimamqve esse, nemo facile erit, qvi ignoret. Atqve ii inprimis arduos, qvi ipsam comitantur labores curasqve experiuntur, qvi quantum licet, satis officio suo facere doctorisqve publica autoritate constituti gloriam vicesqve rite tueri nituntur. Hac mente tam illustrem spartam noster in se susceperat, non ut desidia se daret, sed ut eam ornaret illustraretqve. Negotiis itaqve forensibus, quibus hæctenus deditus fuerat, totum se subtrahebat, atqve altius rimandis LL recessibus, juri patrio, meditationiqve se dabat, quo JCI titulo non superbiret tantum, sed dignissimus ab omnibus haberetur.

Ita *HERINGIUM*, nostri quondam ordinis gloriam, nostras delicias in studiis litterarum occupatum, meritisqve præmiis, quæ eruditos manent, ornatum affectumqve vidimus. Non vero hæc sola laus est, quæ nostro contigit, quem aliis adhuc pluribusqve de causis honore dignissimum novimus. Elucebat in ipso tanta rerum gerendarum prudentia, tam acuta iudicandi facultas, tam integra mens, ut graviora ipsi munera imponi non sine fructu possent. Quod gloriosissimus *CAROLUS LEOPOLDUS* advertens illustri ac reverendissimo Consistorio Ecclesiastico consiliarium eum, postquam hanc stationem morte sua *CARMONIUS* deseruerat, admovebat, ad quod splendidum officium d. XII. Calendarum Septembris 1703, a b *ÆPINO*, eo tempore directoris munere functo, recipiebatur. Neque ita multo post Oeconomiae Ecclesiasticae atque Cœnobii divæ crucis Provisor serenissimi ducis clementissima volun-

voluntate constitutus, a Viro illustri atque consultissimo CHRISTIANO HENRICO ENGELCKENIO, reverendissimi Consistorii ducalis Consiliario seniore atque hodie directore venerabili, ritu solemniter introducebatur.

Tali ratione HERINGIUS non cæcæ vertigine fortis, sed merito suo iureque ad dignitates evehebatur, tam præclarum præstansque ingenium decentes. Eos vero omnes ita tuebatur, ut omnium calculum adplausumque promereretur. Pro Rectoris enim academici arduo muneri quater admotus, summam iustitiæ ac sapientiæ; mensæ communis directione, quam administrator ejusdem gessit, & ex Senatus academici consulto denuo suscepisset, nisi spe nostra citius nobis ereptus esset, functus, maximum dexteritatis integritatisque; stipendiorum dispensationi præfectus, præstantissimæ promptitudinis ac fidei; novies denique illustri Jctorum ordinis Decanus, mirandæ alacritatis sedulitatisque gloriam famamque consecutus est, nulla ætate nulloque die delendam, cum publicæ tabulæ eius rei testimonium ferant perennaturum.

Quandoquidem vero Doctorem academicum præcipue commendat, quidquid ad augendas perpoliendasque scientias ab ipso effectum est collatumque, sic noster quoque hac gloria mactandum se exhibuit. Non enim unquam in prælectionibus academicis instituendis diligentiam suam desiderari passus est neque poscentibus auxilium suum in cathedra defuit, neque elaborandis scriptis, quantum quidem per debilem quæ postremis vitæ suæ annis premebatur, valetudinem licuit, se subtraxit, sed in his omnibus eum se præstitit, qui nemini secundus, multis antecel- luit. Quare & decies in Disputationibus inauguralibus Candidatis præ- stantissimis suo præsidio adfuit, iisdemque Doctoris titulum solenni ritu contulit. Et cuncta, quæ hac occasione in publicum emisit scripta, ea soliditate atque elegantia elaboravit, ut exteris se quam maxime proba- rent, dignæque haberentur, quarum diligens lectio commendaretur, qui- bus solida rerum cognitio curæ est cordique. (a) Non enim, quod mul- ti suæ sic & eruditionis famæ male consulentes solent, stans pede in uno scriptiones suas componebat, neque nimia festinatione abripi se patieba- tur, sed diuturna meditatione, quidquid cum erudito orbe communica- turus erat, secumolvebat, ne aliquando sero sapiens vel revocare men- tem, vel iteratis scriptionibus difficulter se extricare cogeretur. Et plu- res adhuc mente conceperat libellos aliquando edendos, & non pauco- rum initium jam ceperat, qui cum orationibus publice pronuntiatis, di- ctionis puritate gravitate atque splendore commendandis, in scriniis b. nostri delitescunt. Quorum laborum catalogum hic intexeremus, nisi alio

(a) Recte sic judicat CHRISTOPHORVS WEIDLICHIVS in der Ge- schichte jetztlebender Rechtsgelehrten, p. 360. scribens: Seine Schriften bezeigen eine feine Wissenschaft in der Rechtsgelehrsamkeit, qui brevem simul, sed chro- nologicis erroribus non destitutam nostri vitæ narrationem instituit.

alio scripto, quod JCtorum ordinis, Collegæ sui desideratissimi beatum obitum mœrentis, nomine publice proponetur, de iis prolixiora dicenda essent.

Talis erat HERINGIVS, proh, quondam noster, orbis eruditi civis, cujus insignia in eundem merita posteritatis calculo non carebunt; talis erat hujus Academiae Antecessor, quem vivi nos pro tot tantisque in eandem impensis curis gratisima mente prosequimur & successoribus olim nostris prosequendum commendamus; talis erat quem vivum in oculis gessimus, nunc superis adscriptum perpetua colimus veneratione.

Intueamur vero & vitam ejus domesticam, prudentiæ pariter sapientiæque vivum exemplar. Honoribus academicis insignitus familiaris quoque rei curam quondam suscipiebat. Allectus ergo splendidis virtutibus ingenuisque dotibus ornatae, prænobilissimæ & venerabilis nunc Matronæ, Viduæ SOPHIÆ JVDITHÆ SCHWEDERIÆ, Amplissimi atque Consultissimi quondam hujus urbis Consulis, b. GEORGII MELCHIORIS SCHWEDERI (b) & Venerabilis Matronæ, MARGARETHÆ MEYERIÆ (c) relictæ filia junioris, amore, nuptias ipsius ambibat, quæ d. VIII. Calend. Sept. A. MDCCCXXXIII. lætam tori societatem cum nostro contrahebat. Quod omnium votis exceptum conjugium, improle licet exiterit, tam amœnum tamen jucundum atque amicum fuit, ut merito cunctos sibi admiratores conciliaret. Vel enim mariti propensissimum in conjugem amorem, vel hujus erga illum curam sollicitudinemque spectaveris, ubique quod divinæ gratiæ testimonium exhibet, præstans præclarumque invenies. Atque utinam diutius idem perstitisset, neque tam cari capitis obitus, ut viduæ, sic bonis omnibus diuturnum mœrorem iniecisset. Verum, quæ mortalium rerum conditio est, insuperabile fatum virum hunc, immortalitatem nominis, utinam & corporis, consecutum, ex vita, tanquam virtutum suarum theatro præmature evocavit. Quem enim tot labores, tantæ curæ tam gravia negotia infirmare haud valebant, eum lethalis demum morbus nobis eripuit. Placuit Illustri atque Experientissimo Medico nostro, GEORGIO CHRISTOPHORO DETHARDINGIO, Med. D. & P. D. P. O. Serenissimo Duci Mecleburgico a consiliis aulicis, utpote cujus auxilio dudum usus erat noster, infensi hujus morbi totam historiam enarrare, quam ipsius Viri illustris verbis hic damus:

Magnorum sæpe morborum parva esse initia, & in prava viscerum, internarumque, quæ in sensus non facile incur-

C 2

runt,

(b) Vitam illius exhibet programma Rectorale b. ZACH. GRAPPI MDCCCVII. scriptum.

(c) Cujus historiam programme Rectorali b. JAC. CARMONIVS A. MDCCCXXXVIII. enarravit.

runt, corporis partium constitutione præternaturali, humorum item dyscrasia, haud raro futuræ mortis causam latere, apud Medicos est contestatum. Imprimis affectio phthistica istius deprehenditur conditionis, ut obscuras ut plurimum origines habeat, quæ neque ab ægris neque Medicis ipsis prius cognoscuntur, quam ubi altas nimium radices acquisivit, & labem ingentem non solum pulmonibus, sed aliis quoque visceribus induxit. Hæc fuit labe, qua tandem, volente Deo, occubuit Vir Illustris beate defunctus. Natales morbi hujus determinare non poterat, nullos etenim unquam in Diæta commiserat errores evidentes, modo quod a multis retro annis, corpore æstuante, potu frigidiusculo se sitim extinxisse, memoria repeteret. Ast, quandoquidem sinistrum exinde effectum, saltem sensibilem non observaverat, de sanitate sua, sub accurata victus ratione, securus existebat. Catarrhis quandoque vexabatur quibus subinde febricula & per vices tusficulosi motus jungebantur, brevi tamen, ab adhibitis convenientibus remediis, & regimine temperato, iterum evanescentes. Annus autem volvitur & dimidium, ex quo, factò corporis habitu aridiori, phthiseos malum intus serpere, e signis haud obscuris conjiciebatur. Quæ ergo huc faciunt remedia, tempestive obvertebantur, & post temperantia, abstergentia, & mundificantia, aliaque, fons Selteramus cum lacte in usum trahabatur. Nec salutari effectù hæc videbantur esse destituta, verum ad breve duntaxat temporis spatium. Paullatim enim cuncta ceperunt ruere in deterius, febris invalescere, lenta in hecticam mutari, cui se sociabant sudores nocturni ultra modum adaucti, & materiæ purulentæ ex pulmonibus excretio sat copiosa. Moderabantur quidem symptomatum modo recensitorum exacerbationes pharmacis probatoribus, quibus palmam præcipiebat cortex peruvianus cum conserva rosarum antiqua commixtus. Verum cum Vir Illustris per elapsum semestre æstivum Pro-Rectoratum Academiæ sustineret, variisque laboribus vires consumeret, abdicando etiam se hoc munere, aëris temperie autumnali jam inclementiore & frigidiore facta publice in Auditorio peroraret, adeo male se habere cepit, ut tussi graviore, & faucium siccitate incoercibili corripere-

tur,

*tur, & ex heſtica febrī adauſta lecto ferali prorsus adfige-
retur. Inducias quidem morbus nonnunquam, medicamen-
torum & analepticorum virtute facere videbatur, mox ta-
men iterum ingraveſcebat vehementius. Adcedentibus tan-
dem aphthis, quæ in faucibus quidem hærentes, gargaris-
matibus & eclegmatibus compeſcebantur, ſed ex deglutitio-
nis difficultate, oſophagum & ipſum ſtomachum jam occu-
paſſe, judicabantur, res erat conelamata, ut mortem pro-
pius imminere intelligeretur. Quæ etiam, exhaustis omnino
viribus, facie in Hippocraticam mutata, & corpore ad ex-
tremam maciem reducto tandem placide eſt inſecuta.*

Eminus ſic lento gradu occurrentem ſibi mortem videbat, nec ta-
men tremebat ſapiens noſter HERINGIVS, de provida Numinis cu-
ra adeo conſictus, ut nil eventurum judicaret, quod detrimento ſibi eſſe
poſſet. Conſtanti itaque firmoque animo ultimam exſpectabat horam,
quodque ipſi reſtabat, partim de rebus ſuis ſtatuendo, partim æternitatis
conſideratione, precibus partim piisque meditationibus, quas non raro
cum amicis eum inviſentibus communicabat, tempus omne consume-
bat. Delectabatur hinc sæpe colloquiis, cum plurimum reverendo at-
que religioſiſſimo Eccleſiæ Nicolaitanæ Paſtore, JO. HENRI-
CO LEHMANNO, Socero noſtro venerando, cui animæ ſuæ cu-
ram commiſerat, inſtitutis, qui ipſe quoque ſequentia hic inferenda
conſignavit, quo de fide pietateque noſtri omnibus conſtet. Sic vero ille:

Quoties beate defunctum, fatali morbo decumbentem
ſalutatum acceſſi, toties eundem, ob peccatorum molem
anxium & contriſtatum, in fide ſtabilem & conſtantem, in
doloribus patientem & ſedatum, mortem denique ipſam
adeo non abhorrentem expertus fui, ut beatam potius ^{ἀνάλυσιν},
ſi Deo ita placuerit, exſpectaret, imo anhelaret.

Omniū primo, ſub ipſo ægritudinis ſuæ primordio
unica eius cura eo erat directa, ut gratuita peccatorum remis-
ſione obtenta, cum Deo in gratiam rediret. Me igitur, cui
animæ ſuæ curam concredidit, accerſito, peccata ſua decenti
animi devotione cordisque contriſtatione Deo fuit confeſſus,
indeque pro officii mei ratione, juxta inſtitutionem Domini
Noſtri Ieſu Chriſti, abſolutionem nactus ſacerdotalem, ſacra
ſynaxi ut reficeretur, eademque in fide ſalvifica confirmaretur,
& de remiſſione peccatorum & ſalute æterna redderetur cer-
d tior.

tior, maximo flagravat desiderio, ejusdemque particeps fuit factus.

Paucis post interjectis diebus de novo B. N. adii, de statu animæ & corporis memet informaturus, ibidemque inter alia præsertim de patientia in cruce, perseverantia in fide, & haud fucato bonorum cælestium desiderio, verba quædam feci, eorumque necessitatem ac utilitatem e verbo Dei scripto brevibus exposui, adjecta admonitione, ut & hæc, cum vires ea rite exsequendi nobis deficiant, a benignissimo Patre cælesti ardentissimis sibi exoraret precibus. Quibus omnibus B. N. attentissimas non solum præbuit aures, sed & animæ tuæ quietem pariter & constantiam indicaturus, sequenti modo mihi respondit: Ach! da ich so viele, ja unzählbare Wohlthaten von der Hand meines liebeichen Vaters, wie Ihnen ja selbst bekandt, empfangen habe, wie sollte ich denn auch nun den bitteren Creuzes-Kelch, den mir mein Vater im Himmel vorge-setzet hat, nicht trincken? Mein IESU ist mir ja in seinem Leiden vorgegangen; Mein Vater, mein Vater, ach gieb mir Kraft und Stärcke, daß ich folgen möge. Quibus, ulterius pergens, addidit: Von meinem IESU soll mich weder Sünde, Tod, Teufel noch Hölle trennen: Hæcque omnia suspiriis obsignavit ardentissimis: Hilf, daß ich ja nicht wancke &c. &c. nichts, nichts soll mich von IESU scheiden &c. &c. Stärck mich mit deinem Freuden-Geist &c. &c. Hisce denique concludens verbis: daß ich ein sehnliches Verlangen habe, bey meinem IESU zu seyn, das weiß mein GOTT, unser Vaterland ist ja im Himmel, wer wollte sich darnach nicht sehnen? Quibus finitis, B. N. tutelæ Altissimi commendans, eidemque constantiam apprecatus, discessi.

Haud multo post B. N. denuo invisens, de piorum seria dignaque ad beatam mortem præparatione prolixiorem institui sermonem, quo finito B. N. hocce dedit responsum: Ich dancke von Herzen vor alle Dero Mühe und Liebe, ich bin bereit, wann GOTT will, und wann ich dann nach Gottes willen auch einige Jahre noch leben sollte, was ist es anders, als Mühe und Arbeit? Herr, lehre mich stets mein End bedencken &c. &c.

En!

En! ita de peccatis serio dolentem ; ita in fide sua constantem, ita in cruce patientem, ita anxie cœlestia anhelantem B. N. quovis tempore, imo ad ultimum usque vitæ suæ momentum, non sine summo animi gaudio inveni. Oigitur beatum terque quaterque Beatum! qui cum Paulo præclarum certavit certamen, cursum absolvit, fidem servavit, quid superest, reservatur ipsi justitiæ corona, quam ipsi Dominus reddet in illa die justus iudex, neque solum ipsi, sed etiam omnibus, qui ejus adventum amaverint I Tim. IV. 7. 8.

Utinam nos omnes & singuli eadem moriamur morte, qua hicce Justus, sitque noster idem, qui Ejus exitus.


Sic natus est, sic adolevit, sic vixit, sic denique o triste verbum, ipsis Idibus Januarii obiit HERINGIUS, longissima si quis unquam alius, vita dignissimus, nihil nobis præter mœstam, quod tantum virum amisimus, querelam relinvens. Neque insignes ipsius virtutes denuo hic non commemorare non possumus. Nunquam nisi coactus, quod corporis ægritudine aliquoties factum, officio suo defuit, neque quod muneris poscebat ratio aliis commisit; nunquam sua consilia vel collegiis, quibus adscriptus erat, vel egentibus aliis temere negavit; nunquam alios, nisi iniquos, laceffivit, vel injuria quenquam affecit. Sed vero iustus erga omnes æquusque ita extitit, ut & amicorum & bonorum omnium decus haberetur præsidiumque. Integritatis sinceritatisque ita studiosus esse solebat, ut non facile quis inveniatur, cui tutius te committere, vel cujus promissis certius niti queas. Ea erat ipsius comitas, ut gravitati dignitati que nil quidquam detrahens, omnium statim animos sibi devinciret. Tanta ipsi in serenissimos Duces, quibus cum laude infervit, fides erat subjectioque, ut nil unquam vel ipse contra sanctissima ipsorum iura tentaret, vel ab aliis tentari, permetteret. Et quid de pietate ipsius probitate que dicam? Tam enim religiosus ingenuusque Numinis, tam virtutum, quas doctrina Christianorum poscit, strenuus studiosusque erat cultor, ut omnes facile ipsius admiratione caperentur, quotquot eundem vel publico cultui præsentem vel privatis piis suis meditationibus occupatum viderunt.

Judicent nunc alii, quam iusto dolore afficiamur, qui HERINGIUM amisimus, hujus & futuri seculi apud nos gloriam, quam æqua fit tristitia amicorum, quos auxilium ipsius deseruit; quam decentem concipiat mœrorem vidua mœstissima, mariti conjunctissimi consortio atque familiaritate privata? Damnent si velint, non vero volent, si quodam æqui bonique sensu feruntur, querelas, quas exequias ipsi eundo fundimus, sed sciant nil cœco amori, nil adulationi nos dedisse, meritis vero nostri præstantiaque permotos tanto luctu affligi.

Vos vero, *CIVES ACADEMIÆ*, qui vivum *HERINGIUM*, illustre Academiae nostrae sidus, suspexistis, qui summorum Viri hujus in Vos meritorum praesentes testes fuistis, defuncti nunc imaginem ad animos saepius Vestros revocate, quo incensi tantarum virtutum, tanti exempli, tot meritorum splendore, quod vivendum vobis est, tempus ita dispensetis, ut fama gloriaque, quae merito nostrum aeterna manet, & vestra facta sequatur. Precamini vero &, ut quae *HERINGIUM* nobis eripuit, Numinis providentia, Academiam protegat, damnumque quod ejus jactura passi sumus resarciat, ut viduae nostri relictæ, solatio sit levamentoque; ut denique ipsa Antecessorem ac Jctum in vacuum nunc *HERINGII* locum sufficiat, ipsius simillimum.

P. P. ROSTOCHII SUB SIGILLO ACADEMIÆ,
 V. NON. FEBRUAR. clolccc.





nomina Slavismum redoleant, am, quod habitu, quod mo. slavonicis omni tempore fuerint quamdiu memoriam eorum ri ultimam licet; quid s quod ia hac vicinia Seculo X. XI. XII. atonismum & Christianismum is, Principes tamen Obetrito- riqve Slavicos mores adeo per- r retinere, ut non nisi cum ex- sui internecone eosdem exue- (11)

ses auch so gar daher wahrscheinlich/ weil sie in alten Zeiten fast lauter Slavische oder Wendische Nahmen geführet/ inner- dar auch dergleichen Sprache und Sit- ten gehabt; Ja von solchem Altväteri- schen Wesen nicht anders als mit ihrem äußersten Ruin abzubringen gewesen/ obgleich andere benachbahrte im X. XI. XII. Seculo viel eher und leichter Christliche Teutsche Sitten angenom- men. (11)

terum assertionis nostræ mo- n hoc est, ut propriam utrius- renissimorum Principum tam e, quam Meclenburgicæ, propa- tatem, qua utrinq; recta descenditur li- s.

Was vors andere der Fürsten beson- dere alte Verwandtschaft mit Russland betrifft/ so kömmt es ist darauff an / daß man aus bewährten Scribenten beweise/ wie so wohl der Russische als Mecklen- burgische hohe Fürsten-Adel von einem Haupt-Stamme herkommen.

itia rerum Russica- ndem monumentis radiderunt, mentio- CI cujusdam Princi- uctor perhibetur to- Russicæ, a quo & es five Cæsares, pe- suo Czaari appella-

Denn so viele bisz daher der Russen al- tes Wesen aus deroselben eigenen Uhr- kunden beschrieben haben/ die gedencen einhellig eines Russischen Fürsten / wel- cher RURICK geheissen / von deme vor- gegeben wird/daß er sey der Stam-Herr des fürnehmsten Russischen Adels/ von dem auch so gar die Groß-Fürsten und Czaaren ihre Ahnen herleiten.

A. C. circiter; turbulentus ibi re- è gente Varegorum ia cum duobus fra- vore accersitus tra- ocerum Russorum. lendam Remp. mul- idii laceratam & flictam. Horum orum arbitrio ac po- ubmississet Senatus rum, factum est, natu minoribus pau- role demorientibus,

Derselbe Fürst Kurick soll um das Jahr Christi 840. bey vorgefallenen innerliche Reichs-troublen aus einem Waregischen oder Wagerische Volcke samt zween Brü- dern Sinaus und Truwor von den Rus- sischen Ständen nach Novogorod oder Groß-Neugard u. s. w. beruffen seyn/ das zerrüttete Regiment anzutreten/ und wiederum zu rechte zu bringen. Wie sich nun die Russen solcher Wagerischen Prinzen Gewalt unterworffen/ist es ge- schehen/daß endlich nach Absterben des Sinaus und Truwor, Fürst Kurick allein übrig geblieben / sich aller Gewalt be- mächtigt.

Nahmen der Wendischen Könige und Fürsten/als Vitislaus oder Wiklaff/ Miecislau oder Disteyen / Slaomir/ Traßich/Kurich/Gostomisle/Tabomisle/Eventyloch/Gneus/Wartislaff/ gleichen mehr/ sind offenbahr aus der Wendischen / zum Theil auch Russischen Stamm-Wur- tu unsre alte Wendische Fürsten von ihrem Slavischen Wesen endlich abzubringen/ erhalten imo Bremensi, auch Alberto Crantzio, is. Nicolao Marscalco.

